



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

§. II. De Enthymemate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

ad illam assumatur *subjectum* quæstionis, ita ut maneat *subjectum*, ideoque ponatur ratio pro prædicato; unde fiet hæc constructio: *Medea est Mater*. Demum accipiatur quæstio, & loco *an* ponatur *ergo*, sic mox erit complexio hæc: *ergo Medea diligit filium*.

§ II. De *Enthymemate*.

Enthymema dicitur *ratio* *incompleta*, quia duas tantum *sylogismi* partes complectitur aperte & expresse, tertium interim reticendo & subintelligendo: Hanc ob causam etiam *commentum* dicitur, quod una *Sylogismi* pars in *mente* remaneat. Prima pars vocatur *antecedens*, eo quod antecedit; altera *consequens*, quod ex priori consequatur. Unde defini potest, quod sit oratio seu *argumentatio* *duabus constans partibus ex quarum una infertur altera*. Potest autem in *mente* reticeri tam major, quam minor *sylogismi*, id est, jam hæc, jam illa pars omitti potest. v. g. *omnis Mater diligit filium, ergo Medea diligit filium*. Vel: *Medea est Mater, ergo diligit filium*. Solet autem plerumque omitti pars illa, quæ per se est nota, ideoque facile subintelligitur, idque non tantum in *conficienda* *argumentatione*, sed etiam in *deductione* seu *tractatione* illius: *superfluum* est enim atque ideo *vitiosum*, hujusmodi *deductioni* *immorari*: Unde fit, ut sæpe *sylogismi* loco in oratione tractetur solum *enthymema*, cum aliqua partium obscura atque dubia non est, ut patet in orationibus *Ciceronis*.

qua ex causa etiam enthymema syllogismus oratorius appellatur. Però optima censentur enthymemata, quæ fiunt ex repugnantibus, aut contrariis: tunc enim, si antecedens verum est, consequens negari non poterit, ideoque ad syllogismi formam recurrere opus non erit, ut rectè inferri ostendatur: per se enim patet, utrumque simul stare, atque verum esse non posse: v. g. hæret in popina, aut vagatur, ergo non studet: non est bellum, ergo est pax. Quia verò contraria sæpe amplificationi non dant locum in oratione, hinc nè nudè argumentatio proponatur & appareat, solet per interrogationem sic proponi: nullam in studiis adhibes diligentiam, & tamen doctus fieri appetis? tota die hausisti, & miraris dolore tibi caput? pacem vult Antonius? arma ponat, roget, deprecetur. Sic Poëta: nox & amor vinumque nihil moderabile suadent, quis fugienda neget? simile exemplum est in authore.

§. III. *De Inductione.*

Inductio est argumentatio in qua ex pluribus rebus non dubiis (id est certis) sibi tamen similibus infertur aliquid de aliquo, quod ipsum illis est simile. Hinc tria ad inductionem requiruntur 1. ut res in antecedenti sint plures: per hoc enim differt inductio ab exemplo, in quo unum tantum simile ponitur. 2. ut illæ res sint certæ, & non dubiæ, ut sit necesse eas concedi, alioqui conclusio, quæ ipsis innititur, non posset esse certa. 3. ut res illa, quæ in conclusioni ponitur, sit similis prioribus